

Dei : » et in III, distinct. VII, quæst. III, artic. I, in argumento II, sic : « Hæc est falsa : Divina Persona, quæ est suppositum æternum est prædestinata esse Filius Dei, quia naturaliter, et ab æterno hoc habet ; ergo hæc est falsa : hic homo est prædestinatus Filius Dei : » et præmiserat probationem : « Quia homo non importat, nisi humanam naturam, et suppositum æternum. » Ecce in duplici loco propositum hoc argumentum quantum ad hanc conditionem de gratia, et eisdem terminis quibus ab aliis allatum est.

LXV. Solutio autem ponitur in eisdem locis, verbis allatis pro conclusione, sed ut clarius applicetur argumento, aliqua ex illis repetenda sunt. In primis de præcedentia hic articulo primo ad tertium inquit : « Dicendum, quod illa antecessio, quam importat hoc participium prædestinatus, non refertur ad personam secundum seipsam, sed ratione humanæ naturæ, quia scilicet persona illa, etsi ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in humana natura fuerit Filius Dei : » et inferius ibidem : « Absolute non convenit Personæ Christi, quod inceperit esse Filius Dei, convenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, ut in natura humana existens, (quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei) ideo hæc est vera : Christus est prædestinatus Filius Dei. »

LXVI. Et in III, dist. VII, quæst. III, artic. I ad primum : « Dicendum, quod diversa consideratio nihil variat eorum, quæ sunt in re ; variat autem ea, quæ pertinent ad actum animæ. Prædestinatus autem est participium, quod imponitur ab actu animæ, scilicet prævidere, vel præordinare, et ideo quamvis sup-

posito æterno non conveniat secundum se prædestinari esse Filium Dei, convenit tamen sibi secundum quod est humanæ naturæ suppositum : » et denique hoc recopilavit ibidem ad quintum : « Dicendum, quod licet homo non præintelligatur ad Filium Dei ratione suppositi, præintelligitur ratione naturæ. »

LXVII. Ex quibus omnibus patet solutio ad argumentum, quæ consistit in hac distinctione : Non est antecessio inter suppositum Christi, et terminum, scilicet Filium Dei, distinguo ; si sumatur suppositum Christi secundum se, et ratione sui, concedo ; si vero sumatur in quantum suppositum humanum, vel in quantum homo, nego. Prius enim præintelligitur, quod Deus fiat homo, quam quod homo fiat Filius Dei, et sicut homo incipit esse Filius Dei in tempore, etiam suppositum divinum prout intelligitur existens, vel subsistens in natura humana, incepit esse Filius Dei, et prout sic præintelligitur prioritate rationis ad esse Filius Dei. Quod clare indicavit S. Thomas ultra verba allata hic articulo primo ad secundum, ubi inquit : « Relinquitur quod prædestinatio tribuatur Personæ Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura. Unde cum prædixisset Apostolus : Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, subjunxit : Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, ut daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute, » ubi ponit clare præcedentiam ex ipsis verbis Apostoli, quod præintelligitur factus secundum carnem, et secundum hoc intelligatur prædestinatus Filius Dei.

LXVIII. Et non minus evidenter docuit in III, distinct. X, quæst. III, quæstiuncula prima ad primum,

ubi inquit : « Dicendum, quod prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad unionem, » ubi expendendum unionem esse primum effectum prædestinationis eo ipso quod dicit unionem effectam, intelligitur Christus, et hoc primo, et ad hoc sequitur alius effectus, scilicet filiatio. Manifeste ergo S. Thomas posuit præcedentiam inter Christum, et filiationem saltem secundum rationem ; quamvis nullus alius locus esset, iste sufficeret ad evidentiam menti sancti doctoris.

LXIX. Ex quo constat quomodo falso Durandus in III, dist. VII, quæst. III, imponat S. Thomas quod ex vi unionis solum sequatur, quod hæc propositio sit vera : Christus est Filius Dei, quia S. Thomas ut patet in his verbis non de propositione, sed de ejus significato loquitur, utpote non nominalis, sed realis ; et propositio est vera, res ita se habet, quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, et sic S. Thomas non posuit solum propositionem, sed etiam ejus objectum sequi ex vi unionis.

LXX. Quoad secundam conditionem eadem solutio adducitur a S. Thomas, applicata tamen ad conditionem de gratia hic articulo I ad secundum : « Quamvis sit naturale illi personæ secundum se consideratæ quod sit Filius Dei, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam ; secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis : » et in III, dist. VII, quæstione unica, articulo I ad secundum : « Dicendum, quod prædestinatio non est personæ secundum se, sed personæ ratione naturæ assumptæ. » Solutio ergo est, quod suppositum Christi secundum se non habet ex gratia, quod sit Filius Dei, sed ratione humanæ

naturæ, cui fit gratia : etiam suppositum prout in natura humana, vel prout hic homo ex gratia est filius, quia non solum est Filius Dei in natura divina, sed in natura humana, ita non solum est verum, quod ut Deus est Filius Dei, sed ut homo est Filius Dei, et hic involvitur gratia ratione humanitatis, ratione cujus ex gratia est homo, et ratione hujus est subjectum prædestinationis.

LXXI. Hæc solutio vim argumenti totaliter evacuat, et nos illam breviter adduximus I part. quæst. XXIII, disp. VII, articulo I numero VIII, quantum sufficiebat ad distinguendam prædestinationem Christi a nostra, plenior tamen explicacionem, ut ibidem diximus ad istum, tamquam ad proprium locum reservavimus. Quia tamen moderni aliis variis viis minus veris, et infirmis hoc argumentum conantur solvere, relinquendo hanc S. Thomæ legitimam solutionem, ideo de hac differentia examinanda instituitur articulus sequens, ubi amplius explicabitur, et si quæ sunt argumenta contra illam dissolventur.

ARTICULUS III.

Quæ sit ratio subjecti, et termini in prædestinatione Christi ad esse Filium Dei ?

I. In hoc articulo jam est dissensio solum inter modernos, qui articulo præcedenti conveniunt in secunda sententia, quod prædestinatio Christi ad filiationem sit propria, et tenentur solvere argumentum ultimum, et variis viis solutionem excogitarunt, quarum probabilitas in hoc articulo examinanda est. Vis igitur argumenti consistebat in hoc quod quia esse Filium non conve-

nit humanitati, sed supposito, et suppositum est filius, quia ipse filius est, qui supponatur, et esse filium habet naturaliter, et essentialiter; ergo non ex vi prædestinationis, quia ad prædestinationem exigitur antecessio saltem secundum rationem subjecti, et quod illi fiat gratia respectu termini. Quæritur ergo, quæ sit ratio subjecti, et quæ termini, et quomodo istæ conditiones verificentur.

II. Pro quo prius notandum est communem esse modum loquendi inter doctores appellare objectum prædestinationis subjectum quod prædestinatur, quod etiam solet dici terminus qui et terminus cui, et et secundum diversos modos dicendi, et explicandi rationem formalem subjecti et termini, erit diversus modus assignandi subjectum quod et quo, et terminus qui et cui, et nos in nostro modo dicendi explicabimus. Igitur plures modi adducuntur ad auctoribus dissolvendi præsentem difficultatem, qui omnes reducuntur ad sex, et illi ad tria capita, et quodlibet caput duos complectitur modos, sicut etiam diximus articulo præcedenti de contraria sententia.

III. Primum caput ponit aliquam rationem communem esse subjectum, et aliquam particularem, per quam communis contrahitur, esse terminum prædestinationis, et hoc caput in duos modos dividitur; primus ratione suppositi solum, secundus ratione totius compositi Christus. Secundum caput ponit subjectum in aliqua ratione particulari, sed possibili, unus totaliter possibili intra causas, alius in fieri, nec intra, nec extra causas complete; terminum vero uterque ponit in eadem ratione prout in esse actuali extra causas. Tertium caput jam ponit subjectum extra causas, unus modus ponit filiationem non esse com-

municatam ex vi unionis, sed subsistentiam, et hanc esse subjectum, filiationem vero terminum: alius vero esse communicatam filiationem, et posse includi in subjecto, et in termino. Ista est differentia doctorum, et isti modi sunt sigillatim examinandi.

PRIMUS MODUS DICENDI.

IV. Quod cum in Christo sit natura, et suppositum, natura quidem singularis est, et non solum significatur ut hæc humanitas in abstracto, sed ut hic homo in concreto, et ad hoc quod sit hic singularis homo, sufficit quod sit hæc singularis humanitas, et de connotato includatur suppositum non determinatum, et particulare, sed ut abstrahit ab isto vel illo, a proprio vel alieno, a creato vel increato, et inter increata, ut abstrahit a Patre, vel Filio, vel Spiritu sancto, quia quolibet supposito terminatur natura, et cum ipsa de se habeat singularitatem, quamvis ex parte suppositi non ponatur determinatum suppositum, sed solum ratio communis suppositi intelligatur, quia hæc sufficit, ut natura ponatur in concreto, quia concretum solum indirecte et de connotato includit suppositum, verificatur hic homo, et iste est subjectum, quod prædestinatur ad esse Filii Dei, quæ est particularis ratio suppositi, et sic verificatur quod hic homo est prædestinatus, ut sit Filius Dei naturalis. Ita Suarez hic disput. l. sect. ii, et Vazquez disput. xc, cap. iii, quos sequuntur alii moderni ex eadem societate, quamvis diversimode loquantur, dicendo, directe significari suppositum, et indirecte naturam, et quantum ad præsens intentum, est eadem ratio, dum tamen conveniant, quod utrumque includitur,

et suppositum, et natura. Et cum dicitur hic homo, non determinatur nisi ex parte significati formalis, scilicet, humanitatis aliquid singulare; ex parte vero suppositi solum ratio communis, seu confusa non determinando quale illud sit.

V. Fundamentum hujus sententiæ est, quod tamquam principium supponunt ejus auctores, scilicet, quod non solum nomen humanitas, sed etiam homo, vel hic homo supponunt pro ipsa natura singulari, non pro supposito naturæ, neque efficiunt, ut nomina determinate pro supposito supponantur, sed quodlibet concretum etiam singulare, ut hic homo, non postulat hoc, vel illud suppositum, sed hanc naturam. Ita expresse Vazquez in illo capite iii, num. xxi.

VI. Hoc fundamentum falsum est, et sic etiam non mirum, quod fundamentum quæst. xvi, art. ix et xi, et alius sæpe, etiam sit falsum. De fundamento tamen hic non est disputandum, quia supra jam impugnatum relinquitur. Præterea Vazquez inquit, quod hæc est falsa: Christus est prædestinatus Filius Dei absolute, et sine additamento in quantum homo, quia si accipiat pro supposito, concedenda non est; nam falsum est asserere, hoc suppositum subsistens in duabus naturis esse prædestinatum ut esset Filius Dei, cum hoc non habeat, nec habere potest per gratiam ullam, sed suapte natura: si vero accipiat pro natura uncta, hoc modo concedenda est, non secus atque illa: Hic homo prædestinatus est Filius Dei. Hæc Vazquez disp. xci, cap. ii, membro xiv, quia multa contraria involvit, ex quibus aliqua solum adducemus.

VII. In primis intentum videtur esse, quod natura significat, per nomen concretum homo, vel hic homo, est quæ prædestinatur esse Fi-

lius Dei, non includens suppositum saltem determinate, quia ideo negat illam: Christus est prædestinatus Filius Dei, quia ly Christus includit suppositum determinatum, et ex alia parte concedit, quod si accipiat Christus pro natura uncta, includit determinatum suppositum, quia non est uncta nisi a Persona divina; ergo est clara contradictio. Ad quod solum restat unum subterfugium, scilicet, quod natura uncta sumatur specificè, id est, illa natura, quæ ungitur, prædestinari, ut ungeretur divinitate ipsa, sed non quod ex parte subjecti præintelligatur unctio, quia sic ipse explicat, dicendo hominem illum unctum prædestinatum fuisse ut ungeretur divinitate ipsa, et hominem vocat semper naturam; restat ergo vel contradictio clara, vel quod natura singularis sit, quæ prædestinatur.

VIII. Contra hunc modum dicendi est manifesta impugnatio, quam ipse Vazquez sibi objicit disp. xc, capite iii, numero xxv, sequeretur posse hominem in communi prædestinari ut esset hic homo in particulari, licet non prædestinatione gratiæ, sed naturæ.

IX. Ad hoc respondet ibidem ipse, providentiam Dei non versari circa universalia, sed circa singularia, et individua; in præsentem vero prædestinationem Dei versatur circa singulare, nempe circa humanitatem singularem, quam determinat ad hoc, vel illud suppositum, non humanitas abstracte, sed etiam concrete, quia singulare concretum naturæ quo fit ut possit hic homo prædestinari etiam ad propriam personam, non prædestinatione gratiæ, sed naturæ. Ita Vazquez.

X. Contra: Quando prædestinatur hic homo, vel includitur ex parte subjecti suppositum, vel non includitur omnino: si includitur, vel secundum rationem communem,

vel particularem suppositi; si particularem, ergo falso dicit, quod non includit determinatum suppositum: si communem, ergo falso dicit, quod prædestinatio non versatur circa commune, vel universale, si quidem illa ratio communis suppositi prædestinatur ad tale vel tale suppositum: si non prædestinatur illa ratio communis; ergo solum materialiter ibi ponitur, et solum natura singularis est, quæ prædestinatur significata per ly hic homo, cum illo connotato suppositi communis indirecte (ut ipse inquit) ergo jam subjectum hic homo, supponit pro natura singulari, quando dicitur hic homo est Filius Dei, ex vi prædestinationis; ergo est falsa hæc propositio contra ipsum. Patet consequentia: Subjectum, et prædicatum non supponunt pro eodem; ergo est falsa. Probatur antecedens: Subjectum supponit pro natura, quia non supponit pro connotato, secundum ipsum Vazquez; prædicatum supponit pro Persona Filii, sed Persona Filii, et natura sunt distincta realiter; ergo hic homo, et filius, qui sunt subjectum, et prædicatum non supponunt pro eodem.

XI. Confirmatur, et explicatur amplius. Quando dicitur hic homo prædestinari ut sit Filius Dei, id quod significatur, et pro quo supponit ly Filius Dei, cui attribuitur ex vi prædestinationis ex parte subjecti significati per ly hic homo, vel tribuitur alicui supposito, vel naturæ, quia ibi nihil est aliud: si supposito, cui supposito, vago, vel determinato: si vago: ergo jam ratio communis prædestinatur ad rationem particularem suppositi contra ipsum Vazquez: si determinatum, in primis contra ipsum, qui negat determinatum.

XII. Secundo, designetur quodnam est illud determinatum, vel est suppositum Filii, vel aliud. Si aliud,

falso attribuetur illi esse Filium: si Filii; ergo jam suppositum Filii prout in humanitate prædestinatur ut sit Filius, quod est nostra sententia, et ipse Vazquez negat expresse: si non tribuitur supposito, restat quod trihuatur naturæ; ergo est falsa propositio, quia natura non est Filius, sed suppositum naturæ est Filius, quia Filius supponit naturam. Unde non potest evadere aliquam ex his falsitatibus Vazquez, et videtur in istam ultimam incidere, scilicet, quod hic homo sumptus pro natura ex vi prædestinationis sit Filius Dei, quæ est propositio falsa, quia subjectum, et prædicatum non supponunt pro eodem, nisi velit explicari, quod ly est idem valeat, quod uniri, sed hoc est ludere verbis, et non loqui ad intentum difficultatis. Supponimus enim humanitatem ex vi prædestinationis uniri supposito Filii Dei, sed inquirimus si hic homo est prædestinatus Filius Dei, non si est unitus Filio Dei, sed si est Filius Dei ex vi prædestinationis. Hoc cogitur negare Vazquez ex vi hujus discursus, et solum concedere uniri.

XIII. Secundo impugnatur: Hic homo significat naturam singularem; ergo dicentem ordinem, vel includentem rationem suppositi singularis. Patet consequentia, quia si suppositum est naturale debet esse connaturale tali naturæ singulari; ergo connaturaliter exigitur a tali natura singulari illud suppositum singulare, et non aliud, quia cum illo, et non cum alio habet connaturalitatem, sicut accidentia propria connaturale subjectum petunt determinatum, et singulare, si accidentia sunt singularia, imo accidentia sunt commune, ut albedo, si consideretur in individuo a determinato subjecto individuatur, quidquid sit de accidenti transeunte, et anima singularis determinatam exigit ma-

teriam. Ergo falsum est, quod eadem numero humanitas possit suppositari a Petro, vel Paulo; ab uno, vel pluribus suppositis, loquendo de supposito ad quod naturaliter dicit ordinem, et inclinatur.

XIV. Si vero sermo sit de supposito increato, et supernaturali, bene posset eadem singularis humanitas ab uno, vel pluribus suppositis terminari, vel etiam ab ipsis dimitti, quia non dicit connaturalitatem ad illa supposita, tamen adhuc præventa a supposito increato de se priusquam præveniretur exigebat proprium suppositum determinatum, et si dimitteretur a Verbo, peteret idem suppositum determinate exigentia connaturalitatis; ergo implicat ponere singularem humanitatem cum supposito vago, et communi, neque intelligere, si intelligatur iuxta exigentiam connaturalem.

XV. Confirmatur: Scientia Dei non est confusa, et indeterminata, sed determinata, et attingit singularia, et individua; ergo sicut ex parte naturæ ponitur singularitas, etiam ex parte suppositi debet poni ex connaturalitate, et exigentia scientiæ divinæ.

XVI. Confirmatur secundo: Prædestinatio determinat id, quod in re ponendum est, sed non est posita natura singularis in re cum solo supposito vago, alias ratio communis poneretur a parte rei sine particulari, quod implicat, non minus ex parte suppositi, quam ex parte naturæ, quia esset idea Platonis; ergo prout sic non est objectum prædestinationis; alias prædestinatio esset de illo, quod non est ex parte rei.

XVII. Respondet Suarez in illa sectione secunda, quod non debet esse eodem modo a parte rei, et in mente divina, et sic a parte rei est determinata, et Deus rationem communem præscindit.

XVIII. Sed contra est, quia licet hæc doctrina aliter applicata possit sustineri, non tamen ad hoc intentum, quia implicat, quod Deus habeat pro objecto prædestinationis rationem communem respectu particularis; tum, quia falsum esset, quod gradus communis esset gradus particularis; tum, quia jam prædestinatio non attingeret individuum, et singulare in subjecto, sed solum in termino, et si hoc posset esse, non esset necessarium cum tanto conatu designare naturam singularem, quia propter hoc inconueniens Vazquez (ut visum est impugnatione præcedenti) ponit naturam singularem, et negat prædestinationem versari circa communia: si ergo hoc conceditur a Suarez, jam in hoc aliam difficultatem involvit quam Vazquez noluit deglutire.

XIX. Tertio, Apostolus in verbis allatis, de Filio suo: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei*; ergo Filius Dei est, qui factus est ex semine David, et qui prædestinatus est Filius Dei.

XX. Respondent Suarez, et Vazquez, quod non est intelligendum, quod Filius Dei etiam factus homo sit prædestinatus Filius Dei, ita quod Filius Dei, qui ponitur ex parte termini, ponatur etiam ex parte subjecti, conjuncti ratione contrariæ sententiæ, quia prædestinaretur ad id quod est naturaliter, et ideo dicunt, quod debet concedi cum isto addito in quantum homo, ut scilicet significetur, quod natura humana significata per ly homo in suo modo loquendi sit prædestinata ut sit Filius Dei, et adducit Vazquez aliquos auctores contrariæ sententiæ pro hac explicatione.

XXI. Sed hæc solutio non potest sustineri; tum, quia jam transit ad sententiam contrariam in expositione Pauli (de quo articulo præce-